



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1100. Usque Ad Annum 1143

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1762

VD18 90117999

§. 62. S. Anselmi Cantuariensis obitus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66385](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66385)

Sæcul. XII.
A.C. 1108.

ep. 190.

fit; amore pacis & charitatis ignosceret
eis hunc errorem, nulli legi Divinæ, sed
tantum humanæ adversantem. *Quod si
vero, ait, omnia, quæ ex benigna dispensa-
tione conceduntur, rejicias, omnibus fer-
me Ecclesiæ Ministris muneri suo renun-
ciandum erit, aut toto mundo exeundum,
nec urbes supererunt, quibus Bona Spiri-
tualia communicent, nisi ipsis liceat, non
nulla, quæ secundum carnem fiunt, Fide-
libus indulgere.* Ceterum Rudolphus Vi-
ridis Sedem Remensem annis sexdecim
occupavit.

§. LXII.

S. Anselmi Cantuariensis Obitus.

Thomas Archiepiscopus Eboracensis
electus & needum consecratus ad-
Edmer. 41. huc tergiversabatur, obsequens malis
Novor. n. 33. consiliis Canonicorum suorum, qui ex
gravi ætate & fracta valetudine Ansel-
mi augurati, brevissimum ei vitæ spa-
tium superesse, Thomæ scripserunt, Ec-
clesiam Eboracensem Cantuariensi in
cunctis parem & æqualem esse, eique
nomine Summi Pontificis prohibuerunt,
ne Anselmo obedientiam promitteret.
Tandem Thoma continuas moras ne-
ctente, cum Anselmus morbi vim in dies
augeri sentiret, ei scripsit in hunc mo-
dum: *In nomine Dei omnipotentis &
cuncta videntis, omne officium Sacerdotale
tibi*

tibi interdico, & prohibeo, ne quodcun-
 que Ministerium Pastoris tibi arroges, Sæcul. XII.
A.C. 1108.
 donec Ecclesiæ Cantuariensi rebellis esse
 desinas, & eidem more Antecessorum tuo-
 rum Thomæ & Girardi obedientiam pro-
 mittas. Si animum seditiosum non depo-
 nis, nullus in Magna Britannia Episcopus
 tibi manus imponere, aut tanquam Episco-
 pum venerari teque ad suam Communio-
 nem admittere præsumat, si te ab Exteris
 ordinari curaveris. Hanc Epistolam ad
 omnes Angliæ Episcopos misit, præci-
 piens, ut ea quæ continebat, in virtute
 Sacræ obedientiæ exsequerentur.

Anselmi morbus erat omnis cibi fa-
 stidium, quo sex circiter mensibus labo-
 ravit, & quamvis repugnanti stomacho *vit. per Edm*
c. 7. n. 72.
 aliquid alimenti ingereret, sensim tamen
 viribus destituebatur. Ubi non amplius
 ingredi valuit, se se quotidie ad Altare,
 ut S. Sacrificio interesset, in quod te-
 nerrima devotione afficiebatur, deferri
 iussit. Qui S. Viro serviebant, cum
 eum isto motu maximopere fatigari cer-
 nerent, rogabant, ut in lectulo suo re-
 maneret; quod non nisi quinto ante obi-
 tum ejus die ab ipso impetrare potue-
 runt. Feria III. majoris hebdomadæ ad
 vesperam usu vocis privatus est; quare
 ei illa nocte Passio Domini Nostri, quæ
 sequente die in Missa recitanda erat,
 nempe

Sæcul. XII.
A.C. 1109. nempe secundum Lucam, prælegitur, cumque sub lectione protinus expiraturus conspiceretur, e strato suo a suis levatus super cilicium & cinerem deponitur. Ita spiritum Deo reddidit, sub auroram Feriæ IV. vigesima prima Aprilis, anno millesimo centesimo nono, Pontificatus sui decimo sexto, vitæ septuagesimo sexto. Obiit Cantuariæ, in Ecclesia sua Cathedrali prope Lanfrancum Antecessorem suum sepultus. Ecclesia vero S. Anselmi memoriam ipso obitus die colit, quo defuncto Sedes Cantuariensis annis quinque vacavit. (*)

Mart. Rom.
21. April.

§. LXIII.

S. Anselmi Scripta.

Præter illa S. Anselmi Scripta, quorum meminimus, multa alia tam Dogmatica quam Moralia supersunt. Tres edit Dialogos ad S. Scripturam facilius intel-

p. 109. Pro-
log. c. 6.

(*) S. Anselmi obitu, Sacer Ordo Monasticus S. P. Benedicti Decus maxime conspicuum, Theologia Scholastica Auctorem suum clarissimum, Episcopi vitæ Apostolicæ exemplar perfectissimum, Summi Pontifices Consiliarium sapientissimum, Ecclesia Catholica Defensorem contra Hæreticos fortissimum, Reges Angliæ Moderatorem prudentissimum, Cathedra Cantuariensis Antistitem Sanctissimum, tota Magna Britannia Patrem optimum, amiserunt.